

IV. Quando concedunt, *personam non esse dividendam*, facto ipso hanc legem violant, dum *attributa realiter non esse communicativa aut appropriativa, & communicationem atque appropriationem sic reipsa factam non esse*, asserunt.

V. Quando largiuntur & consentiunt, *Christi θεοῦ γενῶντος personam omnisciam, omnipraesentem, omnipotentem, adorandam esse*, neque totam intelligunt, neque humanam naturam de illis attributis allatis omnibus vere participare contendunt, adeoque, cum revera de sola hypostasi Filii Dei, & natura divina, exclusa carne, haec *idiomata intellecta* velint, reapse nihil dicunt, quod ad consensum genuinum faciat. Quis enim in controversiam vocavit, *Filium Dei in sua natura divina esse omniscium, omnipotentem?*

VI. Quando concedunt una manu, *passiones Jesu Christi, quas sustinuerit, infiniti valoris esse ad redimendos homines*: altera hoc datum & concessum rursus eripiunt, ubi se ad illud commune recipiunt, *passionem esse mere humanae naturae, valorem omnem accedere a sola divina natura*, quae cum ex illorum mente nihil tribuat & communicet humanae naturae, quomodo potest dici, *adesse valorem, quem humana natura non habet, & divina non largitur?* Et quomodo potest dici ab Allocutore, eos concedere, *passionem Christi esse infiniti valoris*, cum, ne quidem pro toto genere humano, quod tamen numero finitum est, sufficere, multo minus destinatum esse, largiantur? Quamdiu enim non adest rotunda Confessio, *passionem sufficientem esse ex destinatione Dei ad redimendos omnes homines peccatores*, consensus plane est nullus. Vt jam taceam de illis, quae ex CALOVIO attulimus, & exactum sustinere consensum videri possent, revera autem eum non in se complectuntur, quoniam per *communicationem*, ut infra apparebit, nihil aliud, quam *naturarum solam unionem*, intelligunt, qua *ab una natura in alteram nihil donorum divinarum realiter conferatur*.

§. VII.